

34

## OBSERVAT. SIDEREÆ

Verū non modo tenebrarū & luminis cōfinia in Luna inæqualia, ac sinuosa cernūtur, sed, quod maiorem infert admirationem, per multæ apparēt lucidæ cuspides intra tenebrosam Lunæ partem omnino ab illuminata plaga diuisæ, & auulsæ, ab eaq; non per exiguam intercapedinem diffisæ, quæ paulatim aliqua interiecta mora magnitudine, & lumine augentur; post vero secundam horam, aut tertiam, reliquæ parti lucidæ, & ampliori iam factæ iunguntur; interim tamē aliæ, atq; aliæ hinc inde quasi pullulātes intra tenebrosam partē accenduntur, augentur, ac demū eidē luminoso superficiēi magis adhuc extēsæ, copulātur. Huius exēplū eadē figura nobis exhibet. At nō ne in terris ante Solis exortum, vmbra adhuc planities occupante, altissimorū cacumina mōtiū Solarib. radiis illustrātur? nonne exiguō interiecto tēpore ampliatur lumē, dū mediæ, & largiores eorundē montiū partes illuminātur; ac tandē orto iā Sole planicierū, & colliū illuminationes iunguntur? Huiusmodi autē eminentiarū, & cavitatū discrimina in Luna longē lateq; terrestrē asperitatem superare vidētur, *vt infra demonstrabimus*. Interim silentio minime inuoluam quid animaduersione dignū a me obseruatū, dum Luna ad primā quadraturam properaret, cuius etiam imaginem eadē supra posita delineatio præferebat; ingens enim sinus tenebrosus in partem luminosam subit, versus inferius cornu locatus; quem quidem sinum cum diutius obseruassem, totumq; obscurum vidissem, tandem post duas fere horas paulo infra mediū cavitatis vertex quidā luminosus exurge-

re cce-

